PRECES

AD USUM

CLERICORUM

SEMINARII

ARCHI-EPISCOPALIS ZAGREBIENSIS.

ZAGREBIAE

TYPIS TYPOGRAPHIAE „NARODNA PROSVJETA"

1930.

Ordinariatus Archidioecesis Zagrebiensis.
Nr. 7344.

Nihil obstat.

Krešimir Pećnjak, m. pr.
censor.

Imprimatur.

Zagrebiae, die 14. novembria 1930.

Dr. Dominicus Premuš, m. pr.
Episcopus Auxiliarius, Vicarius generalis.

INDEX

Preces Matutinae.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. — **R.** Amen.

Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa unitas: confitebimur ei: quia fecit nobiscum misericordiam suam. Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. — Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oremus.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. — **R.** Amen.

V. Dignare, Domine, die isto.
R. Sine peccato nos custodire.
V. Miserere nostri, Domine.
R. Miserere nostri.

V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
R. Quemadmodum speravimus in te.
V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti: tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Per Christum Dominum nostrum. — **R.** Amen.

Actus fidei.

Firmiter credo et profiteor quidquid Christus docuit, Apostoli praedicaverunt, et sancta Romana Ecclesia credendum proponit, quia tu, Domine, revelasti, veritas aeterna et infallibilis; atque in hac fide et pro hac fide vivere et mori volo ac statuo.

Actus spei.

Spero in te et a te, mi Deus, gratiam, gloriam et omnia salutis media; potes enim dare, quia omnipotens es; vis etiam, quia infinite misericors es; dabis autem, quia sicut de promissis tuis, ita etiam de fidelitate tua aeterna persuasum mihi est.

Actus caritatis.

O mi Deus! amo te, quia tu amasti me; sed vel ideo potissimum super omnia amo te, et proximum quemvis propter te, quia tu summum, unicum et infinitum bonum, omni amore es dignissimus.

Salve, Regina, (*omnes prosequuntur*) mater misericordiae; vita, dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamanus exules filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.
V. Benedictus Deus in sanctis suis.
R. Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur,

Spiritu sancto cooperante, praeparasti: da, ut cujus commemoratione laetamur; ejus pia intercessione, ab instantibus malis, et a morte perpetua liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. — **R.** Amen.

V. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Oremus.

Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et aeterna societate gaudere. Per Christum Dominum nostrum. — **R.** Amen.

V. Exultabunt sancti in gloria.

R. Laetabuntur in cubilibus suis.

Oremus.

Sanctorum Josephi, Thomae, Caroli, Aloysii, Stanislai, Joannis, omniumque Sanctorum nos, quaesumus Domine, patrocinia muniant: ut, quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Christum Dominum nostrum. — **R.** Amen.

Anđeo Gospodnji navijestio Mariji.
I ona začela po Duhu Svetomu.
Zdravo Marijo i t. d.

Evo službenice Gospodnje.
Neka mi budę po riječi tvojoj.
Zdravo Marijo i t. d.

I Riječ tijelom postala.
I prebivala među nama.
Zdravo Marijo i t. d.

V. Moli za nas sveta Bogorodice.

R. Da dostojni budemo obećanja Kristovih.

Pomolimo se.

Milost svoju, molimo te, Gospodine, ulij u duše naše, da mi, koji smo po anđelovu navještenju spoznali utjelovljenje Krista, Sina tvojega, po muci njegovoj i križu k slavi uskrsnuća privedeni budemo. Po istom Kristu Gospodinu našem. — **R.** Amen.

O Gospođo moja, o Majko moja! Tebi se sasvim prikazujem; pa da ti se pokažem odanim, posvećujem ti danas svoje oči, svoje uši, svoja usta, svoje srce, upravo svega sebe. Kad sam dakle sav tvoj, o premila Majko, čuvaj me, brani me kao stvar i svojinu svoju.*

---

* *Uzdah u svakom kušanju*: O Gospođo moja! o Majko moja! spomeni se, da sam ja tvoj. Čuvaj me, brani me, kao stvar i svojinu svoju.

(*Djelo prinošenja*).

Božansko Srce Isusovo! Ja Ti prikazujem po bezgrešnom Srcu Marijinu sve molitve, djela i trpljenja ovoga dana u naknadu za naše uvrede, i na sve one nakane, na koje se Ti neprestano prikazuješ na oltaru. Osobito Ti ih prikazujem za sv. Crkvu, za našega sv. Oca Papu i za sve potrebe članovima apostolstva molitve ovoga mjeseca i dana preporučene. Amen.

Priznavalo se, štovalo, ljubilo, slavilo i veličalo vazda i svuda božansko Srce Isusovo i prečisto Srce Marijino. — **R.** Amen.

O preslatko Srce Isusovo! daj da te sve više i više ljubim. — **R.** Amen.

Molitva za sjedinjenje.

Božanski Spasitelju, Isuse Kriste, žalost je napunila ljubezno Srce Tvoje, kad si na posljednjoj večeri molio, da bi svi jedno bili kao što ste jedno Ti i Otac Tvoj. Pred očima Tvojim lebdio je tada i onaj nemili razdor, štono je širom slavenskih krajeva braću po vjeri i krvi razdvojio. Svemožni Kralju mira i ljubavi, daj uskori onaj preblaženi čas, kad svi jedno srce i jedna duša budemo. Ne daj, da se ljudska slabost dulje opire Tvojim milosnim namjerama. Pošalji Duha svoga, Duha istine i ljubavi, koji će sve zapreke jedinstva ukloniti, da bude naskoro jedan ovčinjak i jedan pastir. A Ti, velika Bogorodice Marijo, Majko naša premila, koju svi zajedno štujemo i slavimo, ne prestani blagoslovene svoje ruke dizati Bogu Trojednome, dok ne vidiš svu svoju slavensku djecu, gdje se bratski grle u jednoj pravoj Crkvi Sina Tvojega.

Sveta braćo Ćirile i Metode, uskrisite rastavljenoj braći glasnike mira i sloge. — Amen.

V. Šta stojite vas dan besposleni?
R. Pođite i Vi u moj vinograd!
V. Molite gospodara žetve,
R. Da pošalje poslenike u žetvu svoju.

Pomolimo se.

Bože, koji ne ćeš smrti grešnika, nego većma da se obrati i da živi, daj molimo te, po zagovoru blažene Marije vazda Djevice i sviju svetih Crkvi svojoj poslenike, koji će surađivati s Kristom i posve se žrtvovati za duše. Po istom Gospodinu našem Isusu Kristu, koji s tobom živi i kraljuje u jedinstvu Duha Svetoga Bog po sve vijeke vjekova. Amen. — (*Oprost* 300 *dana svaki put. Pijo X.* 29. *III.* 1908.)

(*Za svećenički podmladak.*)

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super nos, et maneat semper. — **R.** Amen.

Preces Vespertinae.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. — **R.** Amen.

Veni sancte Spiritus, (*omnes prosequuntur*) reple tuorum corda fidelium: et tui amoris in eis ignem accende.

V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
R. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. — **R.** Amen.

Statuamus nos in praesentia Dei, et gratias illi agamus pro collatis nobis beneficiis, singulariter vero pro iis, quibus nos hodie cumulare dignatus est. (*Pausa.*)

Postulemus a Deo lumen ad cognoscenda peccata nostra nobis necessarium. (*Pausa.*)

Revocemus nobis in mentem omnia peccata, quae hodie commisimus cogitatione, verbo et opere. (*Pausa longior.*)

Excitemus in nobis actum doloris de peccatis nostris, et promittamus Deo, nos eum non amplius offensuros mediante gratia ipsius. (*Pausa.*)

Confiteor (*omnes prosequuntur*) Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Misereatur nostri omnipotens Deus, et dimissis peccatis nostris, perducat nos ad vitam aeternam. — **R.** Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. — **R.** Amen.

V. Dignare, Domine, nocte ista.
R. Sine peccato nos custodire.
V. Miserere nostri, Domine.
R. Miserere nostri.
V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
R. Quemadmodum speravimus in te.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Visita, quaesumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant; et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. — **R.** Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae: ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N. quem pastorem Ecclesiae Zagrabiensi praesse voluisti, propitius respice: da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere, ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam.

Sub tuum praesidium (*omnes prosequuntur*) confugimus sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra: tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium: ut qui sanctae Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. — **R.** Amen.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus: descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis; ascendit ad coelos; sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos. — Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Pro fratribus in vinea Domini laborantibus:

Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. — Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Amen.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fruc-

tus ventris tui Jesus. — Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes: ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace. — **R.** Amen.

Sabbato post Ave addetur:

V. Oremus pro benefactoribus nostris.

R. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. — Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Salutatio Angelica

Meridiana et Vespertina.

In nomine Patris, et Filii, et Spitrius sancti. — **R.** Amen.

Angelus Domini nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu sancto.

Ave Maria.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Ave Maria.

Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis.

Ave Maria.

V. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde: ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. — **R.** Amen.

Salutationi angelicae meridianae ad piam intentionem pro unaquaque hebdomadis die infra positam exprimendam adjungitur:

Pater noster. Ave Maria.

V. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

R. Amen.

V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

R. Amen.

Pro Dominica: In honorem et gloriam sanctissimae Trinitatis renovando oblationem nostri qua clericorum, factam Domino Deo.

Pro Feria II.: In honorem sanctorum Angelorum, ut evadamus sobrii, sinceri et fideles animarum pastores, erga miseros misericordes.

Pro Feria III.: In honorem omnium Sanctorum et Sanctarum Dei pro firma fide, humilitate et profectu in eminenti scientia Jesu Christi.

Pro Feria IV.: In adorationem sancti Spiritus pro sectanda castimonia, et impertrando pastori animarum dono necessario: primo: per salutarem doctrinam fideles illuminandi; secundo: suo bono exemplo ad imitandum Salvatorem movendi.

Pro Feria V.: In honorem et venerationem sanctissimi Eucharistiae sacramenti pro consequendis bonis: primo: digne animas angelico cibo pascendi; secundo: diligendi ac promovendi decorem Ecclesiae.

Pro Feria VI.: In memoriam et adorationem sanctissimae passionis Salvatoris nostri, proponendo, abstenturos nos re aliqua licita propter commissa plura illicita. — Recordemur caput Jesu fuisse spinis coronatum: ne ergo nos unice vel potissimum quaeramus amoena.

Pro Sabbato: In honorem beatissimae Virginis Mariae pro felici morte.

Salutationi angelicae vespertinae adjungitur:

O Domina mea! o Mater mea! tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hac nocte oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater! serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.*

(*Psalmus* 129.)

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam:

Fiant aures tuae intendentes, in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

---

* *Aspiratio in quavis tentatione*: O Domina mea! o Mater mea! memento me esse tuum. Serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.

Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem aeternam dona eis, Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

R. Amen.

Tempore paschali loco „Angelus Domini" dicitur stando:

Regina coeli laetare, alleluia,
Quia quem meruisti portare, alleluia.
Resurrexit sicut dixit, alleluia,
Ora pro nobis Deum, alleluia.

V. Gaude et laetare Virgo Maria, alleluia.

R. Quia surrexit Dominus vere, alleluia.

Oremus.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es: praesta quaesumus, ut per ejus Genitricem Virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eumdem Christum Dominum nostrum. — **R.**. Amen.

In visitatione Sanctissimi Sacramenti.

POST PRANDIUM

Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso Verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene,
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit:
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit:
Ad firmandum cor sincerum,
Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui;
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui;
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori, Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

POST COENAM

Divi Thomae Aquinatis
Doctoris Angelici
Rhytmus ad sacram Eucharistiam.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur:
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo Veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens, atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus vitam praestans homini:
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae.

Amen.

V. Panem de coelo praetisti eis. (T. P. Alleluia).

R. Omne delectamentum in se habentem. (T. P. Alleluia.)

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti : tribue quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. — **R.** Amen.

V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

R. Amen.

Pro fratre infirmo.

Antiphona. Domine, ecce quem amas infirmatur.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterna credentium : exaudi nos pro framulo tuo infirmo N., pro quo misericordiae tuae imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum. — **R.** Amen.

Pater. noster Ave Maria. Gloria Patri.

Pro fratre defuncto.

Oremus.

Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur : ut animam famuli tui N., quam de hoc saeculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum. — **R.**. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

V. Requiem aeternam dona ei, Domine.

R. Et lux perpetua luceat ei.

V. Requiescat in pace.

R. Amen.

ORATIO

SANCTI THOMAE AQUINATIS

Ante studia.

Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres Angelorum hierarchias designasti, et eas super coelum empyreum miro ordine collocasti, atque universi partes elegantissime distribuisti! Tu, inquam, qui verus Fons Luminis et Sapientiae diceris ac supereminens Principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras peccatum scilicet et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias atque in labiis meis gratiam tuae benedictionis infunde! Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facilitatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam. Ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas: Tu, qui es verus Deus et homo, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

(*Indulgentia bis centum dierum semel tantum in die. Leo Papa XIII. Rescript. S. C. Indulg. diei* 21. *Februarii* 1880.)

V. Sedes sapientiae.

R. Ora pro nobis.